20.

DE RATIONE ARTIS AD SCIENTIAM CIVITATEM ET RELIGIONEM

DISSERTATIO.

CUJUS PARTEM PRIMAM

VENIA AMPL. FAC. PHILOS. UPSAL.

PRÆSIDE

HAG. **P. D. A. ATTERBOM**

ÆSTHET. PROF. REG. DE STELLA POL. EQU.
ACAD. SUEC. OCTODECIMVIRO
COMPLUR. SOCIET. LITT. MEMBRO

PRO GRADU PHILOSOPHICO

P. P.

AUCTOR

GUNNAR WENNERBERG
VESTROGOTHUS

IN AUDITORIO GUSTAVIANO DIE XII JUNII MDCCCXLV.

H. A. M. S.

UPSALIÆ
WAHLSTRÖM ET LÅSTROM.

PARENTIBUS OPTIMIS

S. V. D.

RESPONDENS.

PROOEMIUM.

In omnibus temporibus mores, religio et forma civitatis, denique ea, quæ ad vitam practicam, quam dicunt, proprie pertinent, hominibus quam maxime curæ cordique fuit neque raro unica fere res, quam diligentia atque intentiori studio dignam habuerunt. Theoreticum vero et magis comtemplativum studium, cujus et abstrusior est utilitas et minor in vita sociali honor, parvi sæpenumero et nullius pretii duxerunt vel plane neglexerunt. Falsa autem hæc, ac iniqua duarum facultatum mentis humanæ inter ipsas ratio jamdudum est dilapsa, postquam intellexerunt homines, utramque hanc facultatem intime alteram cum altera esse conjunctam, adeo, ut omnis vera ad statum in vita practica meliorem progressio ex ipsu progressione theoriæ pendeat. Quare etiam philosophi non amplius neque clamantium in solitudine voces, neque anxii et subtiles Scholastici, de lana caprina rixantes, habendi sunt; et philosophia, quatenus ea ut scientia vel theoria veritatis consideratur, ad illum altiorem dignitatis gradum adscendit, ubi, ab omni et aliena et externa dominatione libera, jure meritoque consistere debet.

Sin autem animum ad artem attendimus, i. e., ad actualitatem mentis humanæ, quatenus consideratur ut facultas æsthetica, longe alia est ratio. Nam non solum e vulgi opi-

nione, sed etiam permultis philosophis, Ars fere nihil aliud visa est, nisi amoenum delectamentum, jucundum quoddam *ἀδιάφορον*, quod, utrum abesset an adesset, parum referret, nec ullum adeo grave detrimentum, si illud evenisset, neque magnum commodum, si hoc, hominibus adferre posset. Quod si aliter sibi persuasum habeant nonnulli, pertrita tamen illa, quam diximus, sententia multo majori parti hominum placuit eique etiam persæpe eruditæ. Unde factum est, ut, si nonnumquam cum Religione vel Civitate conflixerit Ars, huic loco semper cedendum fuerit, non secus ac scurra, licet etiam facetissimus, obmutescere debet, quoties prodit in scenam persona primarum partium.

Negare quidem non possumus, Arti, quatenus significat essentialem mentis humanæ facultatem, suam quoque et absolutam vim nostris temporibus esse adjudicatam; sed nihilo tamen minus sub tutela quadam etiam nunc vexatur et angitur, quæ vera ac justa ejusdem conditio neutiquam esse potest.

Quænam igitur sit illa ratio, quam habet Ars ad Scientiam, Religionem et Civitatem, in hac dissertatione, quoad poterimus, explicare conabimur. Quum autem hæc res proposita tres ferme involvat quæstiones, quarum unaquæque separatim consideranda est, nobis opportune visum est, libellum quoque hunc in tres dividere sectiones, quarum *Prima* rationem, quæ *fuit* Artis ad Scientiam, Religionem et Civitatem ostendet atque hujus rationis exponet Historiam, qualis vel e factis moribusque gentium vel e scriptis philosophorum colligi potest; *Secunda* autem rationem, quæ nunc *est*, demonstrabit, ubi etiam caussam exponere conabimur, cur universa Ars et maxime Artes plasticæ, quas vocant, nostro ævo velut senescere et sublabi, vel certe nihil aut non multum progredi videantur; *Tertia* denique eandem rationem, qualem *esse oporteat*, indicabit.

Verum antequam ad ipsam rem tractandam adgredimur, prænotiones nonnullæ breviter præmittendæ sunt, quibus nostra de universa Arte sententia innititur. Cum vero et parum otii nobis fuerit neque tam suppetiverint vires, quam ad tantum inceptum peragendum opus esset, indulgentiam Lectorum jamjam exoptamus, satis habituri, si quid intentiori meditatione dignum in nostro opusculo invenerint.

PRÆNOTIONES.

§. 1.

Unumquodque systema, quod quidem vere dignum hoc nomine sit, *Principio* niti debet, quod totum in se implicite involvit et explicite complectitur systema; cujus autem veritas nulla alia, nisi sua ipsius veritate, demonstrari potest.

a) Per systema, sensu amplissimo, Universum intelligimus, modo rationali consideratum, ita, ut nihil vere sit, quod non cum ceteris omnibus aliquid habeat commune.

b) Veritatem principii demonstrare nihil aliud significat, quam ex ipso principio omne verum explicare.

c) Si principium totum systema in se involvit et complectitur, illud etiam est absolute summum. Hinc sequitur, veritatem ipsius principii non posse demonstrari alio quodam principio, neque *extra* systema, quoniam extra systema nihil omnino cogitari potest, neque *intra*, quia unumquodque aliud principium, quam quod est absolute summum, hujus veritate, ut ipsum sit verum, nititur adeoque ab illo pendet.

§. 2.

Quoniam autem veritas principii unicuique alii veritati, e principio deductæ et explicatæ, velut fundamentum subest eamque ponit, ***Principium est absolute summa caussa systematis.***

a) Principium, quatenus consideratur ut absolute summa caussa, totum in se involvit Systema *implicite* (§. 1.).

b) Illam absolute summam caussam, nimirum si ut caussa et non ut principium consideratur, unicam esse, quæ eadem simul effectus non esse possit (infra §. 3. d.), ex ipsa illius notione satis liquet.

§. 3.

Caussa vero nullo modo cogitari potest, nisi aliquid etiam cogitatur, cujus est caussa; itaque caussa necessario ponit effectum. Inde autem sequitur, caussam absolute summam cogitari nullo modo posse, nisi infinita quoque cogitentur, quorum sit caussa; itaque *Principium*, quatenus ut caussa absolute summa consideratur, *necessario ponit infinitos effectus.*

a) Effectus ipsius caussæ efficientia est, qua se ipsam explicat.

b) Hinc sequitur, caussam, quoad suos ipsa ponit effectus, suam etiam esse in quoque effectu explicationem, ideoque in summo effectu summam.

c) Quoniam effectus infiniti sunt et e communi caussa orti, conjunctiones quoque infinitas inter se habent.

d) Per illas vero infinitas effectuum inter se conjunctiones nihil aliud intelligimus, quam esse eos non caussarum effectus solum, sed et simul aliorum effectuum caussas. Quare etiam sunt et *positæ*, quatenus ut effectus, et *ponentes*, quatenus ut caussæ considerantur.

§. 4.

E caussa absolute summa necessario quoque sequitur effectus absolute summus, qui nihil est aliud,

quam summa caussæ absolutæ explicatio (§. 3. b.). Hæc autem explicatio totum systema complecti necessario debet. Quod vero explicite complectitur totum systema, id est principium (§. 1.); unde etiam *Principium est effectus absolute summus systematis.*

a) Principium quatenus ita consideratur ut effectus absolute summus, totum in se complectitur Systema *explicite* (conf. §. 2. a.).

b) Quoniam effectus absolute summus idem est ac summa explicatio Causæ absolute summæ (§. 3. a. et b.), facile intelligitur, eum alium effectum se ipso superiorem, ponere non posse; ideoque effectum absolute summum unicum esse effectum, qui non idem simul sit caussa.

Obs. Quid sit principium, quoad ut principium, et quid, quoad ut caussa vel effectus concipitur, diligenter est discernendum.

c) Unaquæque caussa, quamvis non absolute summa, effectum quoque suum habet summum, si modo consideratur ut suorum effectuum summa caussa.

Obs. Ex illis, quæ supra (§§. 2. 3. et 4.) dicta sunt, aliæ jam deduci possunt principii explicationes, quibus notio ejus clarius determinabitur.

§. 5.

Principium, quoniam est totius systematis caussa absolute summa (§. 2.) sive id, sine quo nihil omnino esse potest *est Universi Esse.*

a) Universi essentiam igitur eandem esse ac principii, quoad id tamquam ens concipitur, facile apparet.

b) Commune illud (§. 1. a.) in omnibus Systematis sive Universi partibus, nihil est aliud, quam harum omnium partium Esse.

§. 6.

Principium, quoniam infinitos ponit effectus (§. 3.) sive totius Systematis est infinita efficientia (§. 3. a.) *est Universi Agere.*

a) Unusquisque igitur effectus pars est ejusdem actualitatis, qua Universum agit.

§. 7.

Principium, quoniam est totius Systematis effectus absolute summus (§. 4.) sive sui ipsius summa explicatio explicata (conf. §. 3. 6.) *est Universi Peractum-Esse.*

a) Verbum illud "Peractum-Esse" significat absolutam perfectionem τῦ Esse et τῦ Agere adeo ut τὸ Peractum-Esse summa sit earum forma vel modus. Unde etiam necesse est, si principium concipere velimus summo, quem possumus, modo, id, tamquam absolutam perfectionem concipiamus.

b) Unusquisque effectus, quamvis non sit absolute summus, si modo consideratur ut summus suæ caussæ effectus, tamquam aliquod Peractum-Esse concipi potest.

§. 8.

Per principium nihil aliud intelligimus, quam *Deum;* itaque illæ voces unam ac eandem significant notionem.

Obs. Quid per se sit Deus, scire non possumus; quare etiam omnia, quæ jam diximus de principio sive Deo, id solummodo explicant, quid sit Deus, quoad in sua ad nos ratione consideratur, at non quid sit per se. Hinc autem sequitur, Eum a nullo alio, nisi a se ipso, penitus concipi umquam posse. At nihilo tamen minus id, quod de Deo

scimus, verum esse scire possumus, quoniam ipsius essentia, quoad ut Ens concipitur, eadem est ac nostra (§. 5. a.); et nos, quatenus ipsi aliquot Ejus effectuum sumus sive partes summæ Ejus efficientiæ, non possumus, quin participes quoque simus absolutæ veritatis. Illam enim potissimum ad essentiam Dei pertinere, satis constat. Ob eandem caussam, licet nesciamus, quid per se sit Deus, illud tamen nihil impedit, quominus agere etiam possumus id recte, quod agimus. Nam, cum intelligimus Deum summam esse perfectionem, scire etiam possumus, nos recte agere, si modo Deum consideramus velut terminum, ad quem in agendo magis magisque appropinquare nos oporteat.

§. 9.

Quoniam necesse est omnia, quæque sunt, etiam cogitentur, quoniamque omnino nihil esse potest, nisi idem quoque cogitatur, nec quidquam cogitari potest, nisi idem quoque est; duo illa *Esse et cogitari reipsa unum idemque sunt.* Illud vero Cogitari nihil aliud significare potest, quam *esse cogitationem;* unde, cum Esse idem sit ac Cogitari, *esse Essentiam et esse Cogitationem idem significat.*

Obs. 1. Notiones essentiæ et existentiæ diligenter sunt discernendæ. Unde ea, quæ supra de τῶ Esse diximus, non æque de τῶ Existere dici possunt.

Obs. 2. Postquam expressius demonstravimus, quid per Essentiam intelligamus, jam e supra dictis (§§. 2. 3. 4 et 5. 6. 7.) summas, quas habemus, notiones de Deo deducere atque indicare conabimur, prout Eum vel ut Esse vel ut Agere vel denique ut Peractum-Esse Universi concipimus. — Antea vero